

obverfat forma Pnevmatici hujus tormenti nova, quæ recipientis exhausti applicatione penitus non indigeat, sed aliorum tormentorum faciem undiquaque decoram referens, ad scopum etiam quemcunque dirigi multò aptior, non solùm eosdem effectûs præstet, sed eâ porro felicitate, ut, cùm descripta hæctenus forma non nisi paucas explosiones, unam post aliam & posteriores semper debiliores, valeat expedire, (dum scilicet vas recipiens aëre successivè admissis expleatur, novo deinceps labore exantlandum & longâ interjectâ morâ rursus applicandum) impetu ferè nihil interrupto globos innumeros toto die, imò dies noctesque, continuò projiciat. Id verò dum præstare divinâ gratiâ liceat, sufficiat interim ad metam propositam ita nos hac vice collineâsse, ut ab ea non aberraverimus penitus. Quod ipsum etiam, ut omnia nostra, cùm Summo ac Potentissimo Numini acceptum sit unicè referendum; ideò immensæ

ipsius Potentiæ & Sapientiæ sempiternæ sit

LAUS IMMENSA

ET

SEMPITERNA GLORIA.



ADDEN